dopisał do nr 102976

13

FAUSTISSIMIS NUPTIIS,
VIRI
NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CON-SULTISSIMIq;

D. GEORGII HÜBENERI,
Regiæ Civitat. Thorun. COS. graviſſ.

Itemq;

MATRONÆ *Sexûs ſui Virtutibus Ornatiſſimæ,*

BARBARÆ RECHELWIZIÆ,
VIRI *qvondam Spectatiſſimi,*

Dñi SIMONIS EKKERT,
Civis ac Mercatoris apud Thor. Nominatiſſ.
RELICTÆ VIDUÆ,
Qvæ XVI. Februar. M. DC. LXXVII.
celebr.
applaudunt
Profeſſores qvidam & Docentes Gymnaſii Thorunenſ.

THORUNI
Imprimebat Johañes Cœpſelius, Gymn. Typog.

ER hat / Herr Bräutigam / ſein freyen lang ver-
ſchoben /
Erwartend / bis Jhn GOTT mit einem lieben
Schatz
Verſorgte; Nun ſein Wunſch der findet endlich Platz /
Er wird durch deſſen Güt' anitzt erfreut von oben /
Mit einer ſolchen wehrten Frauen /
Die Jhren hochgeliebten Mann
Jn allem wol vergnügen kan /
Und bloß darauff / was Jhn ergetzt / wird ſchauen.
Es iſt noch nichts verſäumt: nichts iſt bißher vergeben.
So freyte vormahls auch der Patriarchen Schaar /
Die ihrer Keuſchheit Krantz ins ſiebenzigſte Jahr
Oft unbefleckt bewahrt; drauf auch ein langes Leben
Zu folgen pflag. Sich jung befreyen
Gereut zwar niemand / wie man ſchreibt:
Doch wer was ſpäter ſich beweibt /
Geſchihts in GOtt / den kan es auch nicht reuen.
GOtt / der nach ſeinem Raht Euch ſelber hat gepaaret /
Schütt' übir Euch und Sie / des Segens aus ſo viel /
Als Beyden nützlich iſt; ſtekk' Eures Lebens ziel
Noch fern' und weit hinaus. Bleibt vor Gefahr bewahret:
Lebt Friedens-voll / und wolbeglükket:
Es traue Licht und Sonnen-ſchein
Sich zwiſchen Beyde reichlich ein:
Biß daß Jhr hie noch Kindes Kind erblikket.

Wolmeinend aufgeſetzt / und

Treulich gewünſchet

von

J. N.

SVmit ut inſvetas partes HÜBNERUS amantis,
Annuit inceptis & favet ipſe Polus.
Cum Sponſâ thalamum virtus & larga coronat
Proſperitas, votis congruit alma ſalus.
Qvid petat ulteriùs? Cœlo ſuperante, qvod optat,
Qvàm carum ſuperis ſit caput, inde videt.
Vivat, & incolumi cum Sponſâ transigat ævum,
Civis ait, creſcat prole beata Domus!

Nobiliſſ. & Ampliſſ. D. SPONSO
cultum debitum teſtatur cum voto prolixo poſuit
M. ERNESTVS KŒNIG, *Gymn. Rect.*

BΟυλευτὴς ὙΒΝΗ'Ρ περίπυστος, καὶ μεγαλόφρων,
Ἡμετέρας πόλεως πότνια δόξα, ἀνὴρ,
Ζῶν ἄγαμος πολλοὺς ἐνιαυτοὺς εἶτα γυναῖκα,
Εὔμορφον χήραν ΒΆΡΒΑΡΑΝ εἶτα, γαμεῖ.
Μνήστορες οὖν τούτῳ συγχαίρετε πάντες ἑταῖροι,
Καὶ αἰνεῖτε καλὸν πάντοτε πολλὰ Θεόν.
Ὥρη ἐρᾷν, ὥρη γαμέειν, ὥρη δὲ πεπαῦσθαι,
Ποιητὴς ἡμῖν ὥσπερ ἔγραψε σοφός.
Ὡραῖον Νύμφην οὕτω περὶ οἶκον ἄγεσθαι
Σπουδάζει, ἡμῶν Νυμφίος ὁ φρόνιμος.
Συμβουλεύειν γὰρ δὴν δεῖ περὶ παντὸς ἕκαστον
Μέλλοντ' ἐμπράττειν ἔργον ἄριστον ἅπαξ.
Οὐδὲ ἔπειτα μόνος ζήσει, οὐδ' ἄθλιος ἔσται·
Ἀλλ' ἄρα εὐδαίμων, γηθοσύνης μέτοχος.
Εἰς γαμίαν σπουδὴν ἀγαθὴν δέσποιναν ἀείρει,
Ἧς εἰλικρινὴς γλῶσσα, νόος χαρίεις.
Εὐειδὴς κεφαλὴ, χεῖρες καὶ λευκὰ πρόσωπα·
ΒΆΡΒΑΡΑ οὐδεμίαν βαρβαρότητα ἐρᾷ.

Βάρβα-

Βάρβαρός ἐςιν ἀνὴρ, καὶ βαρβαρόφωνος ἐχέτω,
    Βαρβαρικὴν ταύτην ΒΑ'ΡΒΑΡΑΝ ὅςις ἔφα.
Ἐύχομαι οὖν αὐτοῖς ἐκ ςήθους πάντα ἄριςα,
    Εἰρήνην θαλάμου, εὐτυχίαν τε βίου.
Κύριος ἐξ οὐρανῶν, οὗ τὸ κράτος ἐςὶ μέγιςον,
    Ἐυφροσύνην διδόθω ἀΐδιόν τε χαράν.
Ὀυ μόνον εὔεργος Μνηςὴς, ἀλλ' εὔγαμος ἔςω,
    Ἠδὲ σοφῶς Μνηςὴν ΒΑ'ΡΒΑΡΑΝ αἰὲν ἔρα.
Καὶ ὅτι ἐςὶ γάμος γενεῆς φύσις, ἄλκαρ ὀλέθρου,
    Παντοκράτωρ αὐτοῖς τεκνία πολλὰ δόθω!

Τουτέςι.

FEſtinas lentè, VIR Prudentiſſime, qvando
    BARBARÆ, at haud qvaqvā barbara vincla ſubis.
Conjugii princeps tua cœpta ſecundet ab alto
    PATRONUS! Creſcat Nomen Honosq; Tuum!

Ita precatur ὁλοκαρδίως

WENCESLAUS JOANNIDES, P.P.

GYNÆCOPHILUS.

BIduum in dorſo Hæmi vere extraxeram, ſitum orbis, & mea volvens Connubia. Obducta Cœlo nocte, argutæ Oſcines, & eruditrix illarum Luſcinia, altùm indormiverant. Secundam circiter vigiliam, qvisqvis erat, cantando ad chordarum ſonum, facundè ſolitudinem ſuam hilarabat, ferum Conjugium ſoluiſſe lætus.

SAlvete lætæ Populi,
  Et vos loqvaces rivuli,
  O unda dives auro.
    Tu murmure,
    Ut Gutture
  Siren, ſerenas pectora,
  Curas repellis, vulnera
  Sanas, reſolvis ora,
    Ut jubila
    Poſt nubila
  Canam. Melos depromere,
  Nablum, Fides intendere,
  Svadent ſoluta vincla
    Cum Gaudio,
    Cum Gaudio.
  Avis ſoluta vinculo,
  Diſcurrit in ramuſculo,
  Cantatq; læta carmen
    Et ſaltitat,
    Nec cantitat,

Con-

Conſpexeram ſervus miſer Cupidinis Viraginem
Pulchram, doloſum rete, tum Taurum Perilli noxium.
Adhæſeram cadens, ut aſſolet tenaci glutini
Æthrâ volucris àffabre ſolertiâ abdito Aucupis.
Qvis non amaſſet? Illius fuere oculi cæſii,
Qvales Paris amaviſſe vaſtatrice Pergamorum Helena
Fertur, fuit vox oris argentea velut & ipſi Orpheo,
Capillus ut formoſa Phryxi vellera, celeritas Atæ.
Conſperſa gemmis ſyrmata, coloreq; rubente cyclades
Splendore tanto tecta fuerat merx neqviſſima.
Primi dies Amoris absq; nube triſti & fulmine.
Illi ego pupilla, corculum, atq; rurſus illa mihi fuit.
Effluxit ubi beata mora priſtinæ dulcedinis
Nil niſi Lavernio, Verbero, Tenebrio, præfurnium
Fueram vocatus. Qvàm citò commeſt pyrum vulpecula!
Tam perit improbæ Tanaqvilis captioſa gratia.
Ficedula. Turdus, ſumen, aprugnus, lepus cum murice
Obſonia Dominæ; Cicer, boletus & crambe qvater
Macerata flammis, lenticula piperata multô ſcommate
Fuere mea. Beata ſolitudo ſalve millies.

O Salve Salve millies,
Tu Sola me lætum facies
Dic lætiùs triumphum,
Tu Cymbalum
Tu Nablium.
Valete ſæva fulmina,
Iræ, Domusq; culmina.
Mentis meæ flagellum,
O improbe
Amor, vale.
O ter beatus & qvater
Qvicunq; de ſpuma DEAM

Fugit

Fugit ſeqventem, perſeqvitur
Dum fugit. Iſte dignior
Certè Triumpho Julio.

GYNÆCOPHILUS.

EXtorſerat aſſenſum Cantator. Recollegi Animum pro libertate. Sed ecce! in herbida Hæmi, Corona formoſarum perrerat: Omnes ſi non DEÆ, credi poterant. Cunctis cœleſtis ſplendor; amantiùs in una internitebat. Niveas genas temperabat purpureus ſangvis. Daturæ Roſas nives in ruborem, ſi cœpiſſent conferri. Emicabat in fronte collecta modeſtia. Nigricantia imminebant luminibus inſtar bicornis Lunæ ſupercilia. Capillus decenter rotundatus, libertatis laqveus, in cervicem candidam pendulus. Hanc evocat, lapſa nube CONCORDIA, lunatoq; genu lateri Advenæ admovit.

CONCORDIA SACERDOS.

Qvem nemo vidit unqvam,
Illius à benigno
Throno, Tibi faventi
Emiſſa præpete adſum,
Curſu, Sorore juncta.
Hanc Tibi junges,
In victo Amoris vimine.
Hæc blandior Columba,
Hæc Sanctior Columba.
Eſt ſincerior oſculo Columbæ,
Et acceptior aureo colore
Qvi collum tegit ambiens Columbæ.
Si fors illa gemet, loqvi putato.
Si forſan tremulis aget qverelis,
In molli cupiet ſinu cubare:
Et nidum cupiet ſinu locare,
Et flammâ cupiet tuâ calere.
Qvòd ſi diſſvaviet pio labello.
Rurſus diſſvavies pio labello.

Oſcula

Oſculo priore mille redde, mille redde, redde
Ordine certo
Baſia mille.
Tu læta lux Amoris'
Tu caſta fax Amoris,
Pluas favillas
Pias medullas,
Crucia, diſcrucia pectora juncta,
Grata ſunt tua tormina,
Gratiora favo, favo
Dulciora, liqvoribus
Maſſicâ fluitantibus
Vite, Nectare melleo:

Johan. Rézik.

HÜBNERUS caſtos animo meditatur amores,
Qvos omnis Sapiens, qvos probet ipſe DEUS;
Qvando ſibi jungit ſociali fœdere Sponſam,
Qvam pietas ornat condecoratq; pudor.
Illius hæc curis erit & medicina dolori,
Ac procurandæ fida miniſtra domûs:
Lux erit illius, columen, cor, vita decusq;,
Lætitiamq; ferens triſtitiamq; fugans.
Hanc ergò Sponſam vero complectere amore,
Sponſe, tuam; Sponſum tu qvoq; Sponſa tuum.
Floreat aucta domus ſemper, ſine lite jugalis
Sit torus, hoc Sponſis opto ptecorq; novis.

Gratulabundus ſcripſ.
GEORGIUS LEHMAN, *Gymn. Coll.*

QVid prodeſt iſtam ſine conjuge vivere vitam,
Aut qvid curarum pondera ferre juvat?
Nulla ferè poſſunt animalia vivere ſola,
Non caſtus turtur vivere ſolus amat

Con-

103105

Conjugium res eſt pulcherrima, grata Tonanti,
Conjugio nexos curat amatq́ DEUS.
Ille etenim eſt ſolus qvi Connubialia curat
Fœdera. qvi nutu pectora noſtra regit.
Hoc meritò ſeqveris, Vir Conſultiſſime, juſſum
Et vis legitimi fœdus inire tori.
Jam Tibi Sponſa datur caſti ſtudioſa pudoris,
Qvæq́ DEUM ſanctâ relligione colit.
Hæc Tibi erit vitæ comes, & medicina malorum,
Officii & curas leniet ipſa Tui.
At ſatis eſt Tibi Sponſe datum: DEUS arbiter ævi,
Attribuat tædis omnia fauſta Tuis.
Et fœcunda Tui faciat conſortia lecti,
Ac liget æternâ pectora juncta fide.

PAULUS BRAMIUS, *Pr. Claſſ*

GRande moræ pretium! Multis qvæ ſingula Nuptis,
Hübnere, hæc Sponſæ ſunt Bona juncta Tuæ.
Fata benigna moram tali cui Sorte rependunt,
Illum vix poterit pœnituiſſe moræ.

FRIDERICUS CRUSIUS, h. t. Gymn. Coll.

Dum vivis triſtis ſine conjuge, Sponſe, videris
Hinc Pauli vitam dictaq́ velle ſeqvi.
Aſt aliud tua facta docent, ubi ſorte favente,
Connubii ſolers vincula ſacra ſubis.
Numinis expectas Decreta, Ampliſſime Sponſe,
Hinc tua cœpta DEUS dirigit atq́ beat.
Huc veniant, diſcant à Te, qvicunq́ ſubire
Rite volunt ſocii fœdera grata tori.
Te Numen ſervet, nil rumpat vincula lecti,
Mors niſi, qvæ gratam monſtret ad aſtra viam.

Honoris ergo app. Nobil. Ampq;. Sponſo
GALLUS Fürſt/ *Cnis. Hung. Gymn. Coll.*